DIE XIV. JUNII

IN FESTO

S. MARCIANI

EPISC. ET CONFESS.

Præcipui Patr. Civit. ac Diœc. Frequenti

Dupl. 1. class. cum Octav. in Civit. ac Diœc.

Omnia de commu. Conf. Pont. præter sequentia.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui tuorum gloriam Sanctorum per tuam misericordiam revelare non cessas: concede propitius, ut per merita Patroni nostri Marciani Confessoris, & Episcopi opem misericordiæ tuæ in præsenti Sæculo, & in futuro gloriam consequamur. Per Dominum nostrum &c.

In I. Nocturno.

Lectiones de Comm. Confess. Pont. primo loco.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

MArcianus Frequentinæ Ecclesiæ Præsul insignis, ac Patronus singularis, nobili genere in Græcia natus, quanta futurus esset sanctitate conspicuus ab ipsa adoloscentia præmonstravit,

a Puer

Puer enim piè sanctèque in lege Domini educatus, ad majora semper, crescentibus annis, anhelabat, & Dominum vocantem, ut perfectius sequeretur, mortuis parentibus, amplas facultates sibi relictas pauperibus distribuit; omniumque caducarum rerum aversatus illecebras, etiam magnum nomen, & celebritatem, quam sibi in patria pepererat, declinans, in Italiam sibi omnino trajiciendum esse cogitavit; certus ibi non consistere, nisi abditum quemdam locum, & occultum aliquem secessum reperisset, in quo lateret securius, & soli Deo, quem diligebat, vacaret liberius. Quod divino admonitu cogitaverat, perfecit, & in fines usque Samnii quum devenisset, non procul ab Urbe Frequenti tandem nactus quod quærebat, ibi substitit, solitariam ibidem usque ad mortem vitam traducturus. At Deus, qui est humilium celsitudo, & majora de eo disposuerat, diu ibi occultum manere non sinens, quo magis ille se abdere conabatur, eo magis illius gloriam vicinis, ac longinquis populis revelare non cessabat, cum eximio dono signorum, quo plures e morte ad vitam revocavit; & imperio in dæmones, quos ab obsessis solo signo Crucis expellebat. Quare magnum ubique erat Marciani nomen, & undique ad eum concurrentes suos deferebant infirmos, & vexatos a spiritibus immundis ut sanarentur.

Lectio V.

PRæstitit id etiam Deus tunc vel maxime, quum Laurentius electus Canusinus Antistes Apostolorum limina jamjam aditurus, ut consecraretur, itineris comitem sibi addidit Marcianum. Id enim quum divinitus Leoni I. Pontifici Maximo innotuisset, ad Urbem advenientibus illis festinans oc-

curri

currit, & reverenter exceptos, Laurentium Canusinæ, Marcianum vero Frequentinæ, quæ tunc vocabat, præfecit Ecclesiæ; quod onus sibi inopinato impositum, & ex obedientia susceptam, ut digne expleret, assidue ad Deum fusis precibus, ejus opem, qua indigebat, studuit semper promereri. Quare pauperibus pater, orphanis adjutor, tutela pupillis, viduis solamen, mœrentibus consolatio, omnibus omnia factus Marcianus, omnes Christo lucrifaciebat. Eo autem omnes suos intendit conatus, ut neglectus Dei cultus magis augeretur, & Catholica fides Juliani haud dudum Eclani Episcopi errore labefactata purior refloresceret, & integra semper in suo grege deinceps permaneret.

Lectio VI.

FRequentinam igitur Ecclesiam quum ita sanctissimæ per plures annos rexisset, plenus dierum, attritus laboribus, meritisque onustus ad perennem in Cœlis gloriam postridie Idus Junias evolavit. Ibi cum Deo regnans, ardentiori qua vivens, erga gregem suum fuerat charitate, pro eo exorat, vigil Patronus tuetur, & ab eo cuncta mala avertens, quæcunque bona precatur. Ejus sacri capitis ossa Frequenti summa veneratione coluntur, reliqua pars corporis Beneventum sæculo IX. asportata, & in Metropolitico Templo condita, fuit inde sæculo XIII. in Monasterium Montis Virginis translata. Festum vero ejus ab ipsius obitu usque adhuc Frequentina Ecclesia tanti Pastoris, & Patroni sui opem sæpius experta, magno concursu civium, & exterorum agit eodem die, quo Sanctus vitam cum morte commutavit.

DIE XXI.

OCTAVA S. MARCIANI.

In I. Nocturno
Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.
Ex Octavario Romano.

Lectio IV.

Sermo S. Gregorii Papæ.

TAntum debet actionem Populi actio trascendere Præsulis, quantum distare solet a Grege vita Pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione Populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Tu autem Domine &c.

℟. Inveni David &c.

Lectio V.

COnsiderandum quoque est, quia cum curam Populi electus Præsul suscipit, quasi ad ægrum Medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat qui in facie vulnus portat?

Ille

Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera Mundi postponit: qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat Spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur. Tu autem Domine.

℟. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

UNde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat: rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant. Tu autem Domine. ℟. Iste est qui ante Deum &c.

Lectiones III. Noct. ex eodem Octavar. Roman.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc. Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua, & reliqua.

Homilia

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

DAtur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum, & datur ante illum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum laborem, quod ita esse etiam Evangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur quod Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis substantiam suam, & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, idest secundum propriam, & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud posse habere charitatem, aliud habere charitatem.

℟. Amavit eum Dominus, &c.

Lectio VIII.

NOn itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem, & sanabilem esse de natura est; reparatum autem, & sanatum esse de gratia est: denique iis, quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ prævidebat,
dioque creditus est numerus talentorum, non me-
riti remunerationem, sed operis accepere charitatem-
rium. ℟. Sint lumbi vestri præcincti, &c.

Lectio IX.

IN qua duorum servorum vigilantissima industria, non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in æterna Domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertii vero pigrum otium, & desidiosa nequitia sic punitur, ut & vituperationis dedecus coretur opprobrio, & portione, quam acceperat, inutilem fidem exuatur. Dignus enim erit perdere
qui non exercuerit charitatem. Te Deum.